

cum tertia, sic semidiameter circuli Mercurialis medijs ad mediam Veneris. Hoc modo si in singulis opereris, atque prouenientes binas distantias per numeros sinuum explices, sic vt semper superioris semidiameter fit sinus totus:

$$\begin{array}{l} \text{proueniet} \\ \text{semidiamete-} \\ \text{ter orbis} \end{array} \left\{ \begin{array}{l} \text{♃ } 574 \\ \text{♄ } 274 \\ \text{terraræ } 694 \\ \text{♀ } 762 \\ \text{♁ } 563 \end{array} \right\} \text{At est} \left\{ \begin{array}{l} 275 \\ 290 \\ 658 \\ 719 \\ 500 \end{array} \right\} \text{in Co-} \\ \text{pernico}$$

Propius, vt vides, ad veritatem accessimus. Etsi verò dubito, an demonstratiua methodo, quod theorema instituerat, praxis ista diuisæ differentię assecuta fuerit per omnia: tamen non omnino nihil in hisce numeris latere, credere me iubet alia numerandi methodus, qua ad eosdem numeros reuoluar. Quia enim probabile est, fortitudinem motus cum distantijs esse in proportione: erit & hoc probabile, quòd quilibet Planeta, quantum superat superiorem fortitudine motus, tantum superetur in distantia. Esto igitur, exempli gratia, Martis & distantia & virtus vnitas. Igitur quotã particulã virtutis Martiæ Tellus Marte fortior est: totam distantiam Martiæ particulam amittet. Hoc facile fit per regulam falsi: pono namque radium Telluris ad Martium esse vt 694. ad 1000, Ergo, inquit, si amplitudo circuli per 1000. notata perambulatur à vi motrice Martia 687. diebus: perambulabitur eadem vi Martia, circulus minor, per 694. notatus, diebus 477. Iam quia certum est terræ circuitum esse non 477, sed 365 dierum: pergo per regulam inuersam sic: dies 477 consumerentur à simplici vi Martia, quantum de vi Martia consumit circuitum, 365 cum quadrante dierum per eundem ambitum, quem Mars conficeret 477. diebus? Nam dubium non est, quin fortior virtus requiratur quàm est Martia. Prouenit igitur supra integram vim Martiam adhuc $\frac{306}{1000}$ pars eiusdem virtutis. Et tantum Tellus Marte fortior est: debet igitur & tantò propior esse Soli; nempe si Mars per 1000. à Sole recessit (distantia enim superioris semper est integrum quid) Tellus per 306. earum partium propior erit: & subtracto superiori 306. ab inferiori